



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 9. Vtrùm in Christo fuerit gratiæ plenitudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ergo non erat Propheta; nam de ratione Prophetæ est, vt videat procul posita. Secundò, Christus non erat Dei nuntius, sed Deus ipse: ergo &c. Tertio, Ioannes Baptista non erat Propheta, sed plus quam Propheta. Matth. 11: ergo multò magis Christus. Quarto, Prophetia euacuabuntur. 1. Cor. 13. atqui in Christo nihil euacuandum; quoad animam.

Respon-
detur.

Respondeo ad primum: Negando Consequen-
tiam; Nam Christus non tantum erat beatus, sed
etiam viator. Et quatenus viator, erat procul
ab ijs quæ nuntiabat; quod sufficit ad rationem
Prophetiæ. Ad secundum: Christus non tantum
erat Deus, sed seruus & nuntius Dei; vnde dici-
tur; *Seruus Dei* Isaia 42. vers. 1. & *nuntius testa-*
menti, Malachia 3. vers. 1. Ad tertium; Ioannes
erat plusquam Propheta in annuntiando Christo;
quia plus fecit quam alij; cum ipse demonstra-
uerit presentem, quem alij dumtaxat prædixe-
runt venturum: verè tamen fuit Propheta. Ad
quartum: *Prophetia cessabunt*, quoad actum præ-
dicendi futura: vnde Græcè est, *Oriosa reddentur*.
Ibidem dicitur etiam *linguas cessaturas*; non quòd
hæc cognitio sit abolenda; sed quòd vsus varia-
rum linguarum non erit amplius necessarius. Si-
militer *scientia destruetur*, quia tolletur omnis ob-
scuritas, ita vt omninò alia videatur scientia.

Prophetia
in Christo
non est di-
stincta à
scientia
infusa vel
beatifica.

Petes, An hæc cognitio prophetica fuerit di-
stincta in Christo à scientia infusa, vel beatifica?
Respondeo, Non fuisse; quia prophetica cog-
nitio, non necessariò includit obscuritatem; sed
abstrahit à cognitione obscura & clara: solum-
que postulat vt sit cognitio eorum, quæ procul
sunt à mortalium cognitione; & existat in homi-
ne viatore. Connotat enim Prophetia statum
viatoris in subiecto; qui videlicet saltem corporis
conditione procul sit à cælestibus, quæ videt.
Vnde etiam lumen beatificum in Christo, quate-
nus corpore erat viator, habebat rationem pro-
phetici luminis; vt etiam insinuat D. Thomas in
Corpore ad 1. & ad 3.

21
Discretio
spirituum.

Quòd autem in Christo fuerit etiam *Discretio*
Spirituum; patet, quia discretio spirituum, vel,
nihil est aliud nisi cognitio cordium, quam cer-
tum est in Christo fuisse; vt infra dicitur: vel,
est facultas quædam cognoscendi, & discernendi
instinctus Spiritus sancti, à motionibus Dæmo-
nis, vel proprijs: & hæc etiam in Christo erat
perfectissimè; nam illas motiones intuitiue po-
terat cognoscere.

6. Inter-
pretatio
sermonum.

Fuit etiam *Interpretatio sermonum* in Christo,
nam hæc est donum quoddam Spiritus sancti, quo
penetramus & explicamus abditos Scripturæ sen-
sus. Quod in Christo perfectissimè fuit, qui est
totius Scripturæ obiectum, & hypostasis. Vel
certè est auxilium Spiritus sancti ad oracula di-
uina sine errore in aliam ex alia lingua transfe-
rendi. Et hæc facultas etiam Christo inerat, vt
patet.

7. Operatio
virtutum.

Denique sunt in illo *Operatio virtutum & gratia*
sanctatum; vt patet ex contextu Euangelico. Vbi
aduerte, hæc duo vocari communiter gratiam
miraculorū, & distingui dumtaxat materia; nam
gratia sanitatis, ratione commodi quod mortali-
bus præstat, habet peculiarem vim ad persuaden-
dam fidei doctrinam; ob quam, hæc gratiæ dan-
tur. Quam vim Operatio Virtutum, id est, alio-
rum miraculorum quæ fiunt in elementis vel re-

bus inanimis, non æquè habet. Ratio, cur hæc
Christo tribuamus, est; tum, quia dignitas illius
personæ, quæ erat *Virtus Dei*, per quam facta sunt
omnia, postulabat vt in natura assumpta quæuis
miracula posset edere: tum etiam id postulabat
officium Doctoris, & institutoris nouæ legis, quæ
miraculis in principio confirmari debuit.

Petes, Vtrum hæc gratiæ in Christo fuerint
per modum habitus? Respondeo, fuisse; in quo
ipse reliquos omnes superauit homines, quibus
non omnes hæc gratiæ communicantur perma-
nenter, sed quædam dumtaxat in transitu per
modum passionis. Nam Prophetæ neque semper,
neque omnia poterant prædicere; nec semper,
aut quæuis facere miracula: Christus autem sem-
per, & quomodo voluit, & quidquid voluit, po-
tuit facere & prædicere. Colligitur Isaia 11.
Requiescet super eum Spiritus Domini. Ioan. 1. *Super*
quem videritis Spiritum descendentem, & manentem,
ipse est &c. Aduerte; cum dico, *Gratiam in ac-*
torum in Christo fuisse per modum habitus, non signi-
ficari hanc gratiam esse aliquam vim creatam, quæ
humanitati Christi inheret; nam valde credi-
bile est nullam talem qualitatem dari: sed tan-
tum significatur auxilium diuinum Christo ho-
mini, ad quæuis miracula semper præstò fuisse;
atque adeò in ipsius potestate. Quo modo con-
curfus generalis siue auxilium generale est in no-
stra potestate.

ARTICVLVS IX.

Vtrum in Christo fuerit Gratia plenitudo?

Respondeo, In Christo fuisse gratiæ pleni-
tudinem; tum ratione perfectionis intensi-
uæ, tum ratione extensiuæ, seu virtutis operandi
ipsius gratiæ. Probatur prior pars; Quia gratia
Christi fuit summè intensa; nempe quantum esse
poterat intra mensuram à diuina sapientia præsti-
tutam circa gratiæ collationem. Idque ob duas
causas; tum, quia Christi Anima erat coniunctis-
sima diuinitati, quæ est fons omnis gratiæ; vnde
oportebat eam summè cælestibus donis imple-
tum, quia ex ipsa, omnis gratia ad alios trans-
fundenda erat. Altera pars Probatur; quia Chri-
sti gratia debebat se extendere ad omnes gratiæ
effectus & operationes, cum fuerit tamquam vni-
uersale principium omnis gratiæ in genere hu-
mano.

Notandum Primò D. Thomam hinc loqui non
de absoluta plenitudine gratiæ, & donorum di-
uinorum secundum intensionem & extensionem,
sed cōparata ad potentiam ordinariam, quæ opera-
tur iuxta mensuram à diuina sapientia præstitutā.

Notandum Secundò circa Responsonem ad
secundum, Animam Christi prius naturā fuisse
sanctificatā per vnionem Verbi, quàm per Gra-
tiam seu dona habitualia. Aliter tamen per gra-
tiam sanctificata est, aliter per ipsam vnionem:
nam gratia est donum intrinsecè ornans essentia,
eamque ad diuinam similitudinem eleuans, &
potentias legi supernaturali conformans: vnio
autem hypostatica erat veluti radix huius doni,
nec intrinsecè animam aut potentias Deiformes
efficiebat.

ARTI-